

[7]. *De expensis que fiunt pro nauibus extrahendis extra portum Uenetiarum.*

Decernimus quod expensas que fiunt pro nauibus de portu Uenetiarum extrahendis fieri debeant de communi habere nauis, et etiam de ipsa naue, secundum usum.

St. Zen, XIX.

[8]. *Quot et qualiter armatos debet nauis marinariorios habere.*

Dicimus quod nauis aut banzonus de CC milliariis habeat marinariorios XX, exceptis militibus et peregrinis et coquis, quorum quilibet ad minus habeat elmum et scutum et zubam, spatam, et lanceas III uel lanzones; ancoras VI, indigarios VI conuenientes, canapos nouos V in corcoma, et alios canapos VII conuenientes; in uelis sic ornetur ut concordess fuerint patroni cum naulizatis. Et illa nauis de CCL milliariis habeat marinariorios XXV ut supra dictum est armatos; in ancoris, velis et alio corrodo nauis sic ornetur ut superius dicitur in isto capitulo.

St. Zen, VIII, IX, X, XX, XXVII, XXIX.

[9]. *De eodem.*

Affirmamus quod nauis de CCC milliariis habeat marinariorios XXX ut supra dictum est armatos, ancoras X, indigarios X conuenientes, canapos in corcoma VIII et alios canapos XII conuenientes; in uelis sic ornetur ut concordess fuerint patroni cum naulizatis. Et illa nauis de CCCL milliariis habeat marinariorios XXXV ut superscriptum est armatos; in ancoris, sarcio et alio corrodo nauis sic ornetur ut dictum est superius in isto capitulo.

St. Zen, VIII (2), e X.